TURCICI IMPERII IMAGO.
Medius Meridianus est 70. reliqui ad hunc inclinantur pro ratione 20 et 45 parallelorum.
Miliaria Germanica 15 30 45 60 75 90
Miliaria Italica 60 120 180 240 300 360
SEPTENTRIO
MERIDIES
OCCIDENS
ORIENS
Ducis Moscoviæ siue Magnæ Russiæ confinia
TARTARIAE PARS
PONTUS EUXINUS
MARE DE BACHU olim CASPIUM MARE ET HIRCANUM. Vocatur & alijs nominibus à regionibus scilicet & locis vicinis. Maximus totius Orbis latus dicitur, salsus, magna et copia piscium abundare.
PERSICI REGNI PARS
MARE MEDITERRANEUM
AFRICAE PARS
SULTAN MAHUMET TURCORUM IMPERAT.
ARABIA DESERTA
AYAMAN
ARABIA FELIX
MARIS RUBRI PARS
Tigremaon Reg
Aden Regn.
Mare Elcatif olim SINUS ARABICUS
Beriara desertum
Elcatif desert.
Alibinali
Beschariu
Fartach
Bello
DAFILA
Garamantes
Elfocat des.
Mare Tyrrhenum et Inferum
Desertum de Ruge: scrifitur
Tauris ol. Ecbatana regum Persarum sedes.
Hujus Imperator hodie Sophy appellatur, qui imperium à Saracenis & Turcis jamdudum ablatum, strenuè quotidie recuperat, continua inter eos atrocia bella sunt.
ORMUS Regnum, peculiarem habet Regem Lusitanis Regi tributarium: continetque totam Arabiam litoralem ab Euphratis fluvij ostio usq. ad C. Rot. elegit, nec non partis Regni Persidis que adiacet freto Basorp. atq. insulas fere omnes sinus Persici, cujus Metropolis est urbs Ormus in insula, que dicitur Geru sita, emporium celebre.
Loca arenosa & deserta
Mare de Mecca et Bo. Dhar Corsun et Mare Rubrum
Mare olim SINUS ARABICUS
Basora fretum
Deserta vasta
Tigremaon R. Turcis imperfecti subiecit, quod antea Pretiosi Iovanni sive Abissinorum Imperatori Christiane paruerat.

TVRCICVM IMPERIVM

Nomina. IN *Asia*, ad quam nunc pervenimus, *Imperium Turcicum* primo loco occurrit. *Turcarum* meminit Mela libro primo: *Facundos pabulo juxta Mæotim, ad alia steriles nudosque campos tenent Budini. Geloni urbem ligneam habitant. Iuxta Thyssageta Turcæque vastas Silvas occupant, alunturque venando.* Eosdem agnoscit Plinius lib. VI cap. VII: neque est dubium quin ab his & nominis & gentis originem traxerint illi qui longe lateque hodie imperitant, ignavia & dissensionibus nostris magni. *Turcum* significare hominem, qui agrestiorem victus rationem sequitur, docet Chalcondilas. Postellus putat eos Hebræis *Togarma* nominari: sic etiam Benjamin Tudelensis. Hi se ipsos *Musulmannos* vocant, hoc est circumcisos, vel ut alij interpretantur, recte credentes. Turcæ vero appellari nolunt, ac nomen hoc contumeliosum apud ipsos habetur, cum Lingua Hebræa exules significet, vel secundum alios, vastatores. Ceterum *Othomanæ* seu *Osmanidæ* familiæ *Imperium*, quod sane amplissimum est, ac *Situs.* potentissimum, permultas Provincias, ac regiones Europæ, Africæ & Asiæ complectitur. In Europa extenditur juxta oram maritimam Hadriatici sinus a finibus Epidauri nunc *Ragusi*, & totum Ægæum mare ambiens, simulque Propontidem, ac non minimam Ponti Euxini partem, ad Theodosiam urbem in Taurica Chersoneso sitam, quam nunc *Caffam* vocant, terminatur: quod spacium octo millia milliar. continet. In Mediterraneis vero protenditur a Iavarino opido Hungariæ, Incolis *Rab*, ad Constantinopolim usque in finibus Europæ sitam. In Africa habet Turca universam oram maritimam ab opido *Bellis de Gomera* usque ad sinum Arabicum, seu Mare rubrum, exceptis paucis Hispaniarum Regi subjectis. In Asia etiam quam latissime sese extendit. Regio ut plurimum Frumenti, Tritici, Hordei, Avenæ, Siliginis, Fabarum, Milij aliorumque Leguminum fertilis. Abundat Oriza, Lino, Gossipio. *Soli fertilitas.* Vineta quoque habent & colunt, & Christiani & Turcæ, sed varie. Christiani Vinum conficiunt & Turcæ Mel eorum lingua *Pechmez* vocatum. Uvas passas quasdam ita medicantur, ut semper & visu & gustu recentes appareant, has *Usum Tursi* vocant. Fert etiam magna copia Pepones, Melones, Cucumeres, Nuces, Poma, Pira, Mala Punica, Aurantia, Castaneas, Ficus, Cerasa, aliosque Fructus: sed non in omni Regno. Sunt enim loca, ut passim in Cappadocia & Armenia Minori, ubi nihil horum (propter intensissimum frigus) nascitur. Venas item habet [Au]ri, Argenti, Ferri, Æris & Aluminis. Varij generis alit Animalia, magnamque Camelorum, Mulorum & P[eco]dum copiam. *Animalium varietas.* Equi Turcici, Canesque ferocissimi inprimis probantur. Turcarum porro Imperio tale legitur fuisse initium. *Imperium Maurum.* Primus illorum Imperator *Ottomannus* Tartarus fuit, miles magni Cham, homo audax, corporis viribus præ ceteris eximius. Hic prætextu injuriarum quarundam secedens a Tartaris, cœpit in Cappadocia Montes atque aditus insidere. Habebat initio apud se equites XL: accessere tum prædæ spe, tum scelerum suorum conscientia permoti multi alij: quorum opera, quod antea clam instituerat, palam adgredi cœpit, occupavitque *Cappadociam Pontum, Bithyniam, Pamphiliam* & *Ciliciam* regiones opulentissimas. Hæc gesta sunt circa annum Domini CIↃ CCC. Huic successit filius *Orchanes*. Hic a patre acceptum Imperiũ ijsdem artibus, sed majore opum vi & divitiarum copia servavit auxitque: usus imprimis oportunitate Christianorum inter se animis dissentientium: quo factum est, ut *Mysiam, Lycaoniam, Phrygiam, Cariam* domuerit, *Nicæam* obsederit ceperitque, & Regnum ad Hellespontum usque protenderit. Contendebant eo tempore inter se Palæologi cum Catacuzeno. Ratus autem quod res erat, fore ut si huic faveret in Europam accerseretur, trajecit, & viam posteris stravit Europam divexandi. Sub finem vitæ infeliciter cum Tartaris decertans occubuit, postquam regnasset annos unum & triginta. Huic successit filius *Amurathes*, egregius simulandi & dissimulandi artifex, robore animi, laborum tolerantia, disciplina rei militaris majoribus haud inferior. Hic contentiones illas, de quibus dictum est, inter Græcos dissimulando fovit: quibus bello fessis & exhaustis, Genuensium navibus conductitijs usus (hominum perfidiam & avaritiam vide) ex Asia in Thraciam superato Hellesponto trajecit. Anno CIↃ CCCLXIII, *Callipolim* in Chersoneso sitam occupavit, quam magna statim Thraciæ pars sequuta est. Postea divicit, *Misiam, Bessos, Triballos*. Denique quum expugnata *Adrianopoli* Serviæ Bulgariæque inhiaret, a Servo Lazari *Serviæ* Despotæ olim Cliente quem in prælio ceperat, pugione confossus, perijt. Liberos reliquit *Solimannum* & *Baiazetem*: *Baiazetes* fratre interempto rerum potitus, Thraciam omnem vincere instituit. Vir erat ingenio acri, & maximarum rerum cupido: in rebusque capessendis audax, in administrandis solers, in laboribus perferẽdis indefessus, in occasionibus prospiciendis acutus & sagax, in exequendis constans. Igitur *Thracia* omni superata, animum ad Constantinopolim adjecerat: sed primum, *Thessaliam, Macedoniam, Phocidem, Atticam*, occupare visum est, *Mysios* quoque (qui hodie Servij) *Illyricos* (qui Bosnenses) & *Triballorum* (qui Bulgari dicuntur) partem reliquam Principe Bulgariæ interfecto subegit. Iamque Constantinopolim totos annos octo obsederat, quum Hungarorum Gallorumque (quos Imperator eo nomine in Italiam profectus accersiverat) adventantium copias reformidans, relicta obsidione, ad Nicopolim ijs occurrit: congressus victor evasit cæsis captisque magna ex parte Gallorum Ducibus. Quo rerum successu elatus *Baiazetes* rursus Constantinopolim contendit, eamque biennij obsidione fatigavit: jamque actum erat de obsessis, nisi *Tamerlanes* magnus Tartarorum Cham igni & ferro Asiam totam depopulari, urbes vastare, prædas agere instituisset, cujus ille subito terrore evocatus, in Galatiæ & Bithyniæ finibus aciem instruxit. Pugnatum est acriter in multam noctem. At Bajazetes impar viribus superatur, & captus aureisque compedibus vinctus in cavea per Asiam traductus est. Tandem dimissus in Asia inglorius paullo post diem obijt, postquam regnasset annos XIII, menses VI. Filios reliquit *Calapinum, Moysen, Mahumetum*, & *Mustapham*. *Calapinus* subito extinctus est; Filius ejus Orchanes a Moyse patruo interemptus, ipse etiam Moyses a fratre *Mahumete*. Hic *Valachiam Macedoniamque* omnem divicit, signaque Turcica ad Ionium usque pelagus promovit: regiam constituit Adrianopoli, & postquam imperasset annos XVII, e vita excessit, anno Domini CIↃCCCCXXI. Hinc *Amurathes* secundus Imperium adeptus est. Hic Genuensium ope in Thraciam delatus patruum suum Mustapham cui Græci magis favebant, bello vicit. *Thessalonicam* urbem antiquam, & tum temporis amplitudine, amœnitate, opibus, situque illustrem, quæ tunc a Venetis tenebatur, evertit. *Cyprum, Epirum, Aetoliam* subegit. Quumque intelligeret rebus suis stabiliendis, Christianorum vero debilitandis magnopere sibi Georgij Despotæ Serviæ Domini amicitiam prodesse posse, eam modis omnibus ambijt, ducta insuper ejus filia in uxorem.

Hac & suis viribus fretus, Belgradum oppugnare aggreditur. Periere in obsidione VII Turcarum millia. Successit huic *Mahumetus 2.* Hic fratris nece tyrannide stabilita, *Constantinopolim* expugnavit anno Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo tertio, penultima die Maij. Biennio post Belgradum se contulit, sed multis ibi suorum interemptis, ipse saucius discedere coactus est. Postea *Bulgariam* occupavit, *Dalmatiam* & *Croatiam* cum *Rascia* omni. *Trapezuntem* item expugnavit & *Mitylenen* cum alijs quibusdam maris Ægæi insulis. *Eubœam* cepit & *Theodosiam* nunc *Capham* urbem Genuensium devicit. Præfuit imperio annos 32. *Baiazethes 2.* bellum cum Venetis gessit; eisque *Naupactum, Methonam, Dyrrachiumque* abstulit, *Dalmatiamque* omnem depopulatus, veneno interijt. Hujus filius *Selymus* imperium invasit. Hic *Alcairo* munitissima Ægypti urbe expugnata, Sultanoque cæso, Alexandriam, totamque Ægyptum suo subjecit imperio, Damascum cepit. *Selymannus* unicus Selymi filius, patri suffectus est, *Belgradum* cepit, propugnaculum non Hungariæ solum, sed totius etiam orbis Christiani. Idem *Rhodum* devicit. *Strigonium* & *Budam*, aliasque Hungariæ urbes expugnavit, Viennam Austriæ obsedit, tandemque ad Zygethum perijt an. imperij sui 47. Sequutus est *Selimus 2.* qui inducias Maximiliano fecit annorum 8. *Cyprum* Venetis ademit, *Tunetum* & *Gouletam* occupavit, obijtque an. 1575. Huic *Amurathes* successit, & huic *Mahumetes 3.* qui parricidio interemptis fratribus 18. imperium auspicatus est, & adhuc pœnis reservatur. Habet igitur Turcarum Imperator latas amplasque ditiones. In Europa *Hungariam* & *Thraciam*, cum *universa Græcia*, hoc est, *Macedonia, Epiro, Achaia, Peloponneso*, cum *insulis maris Ægæi*. Præterea *Illyridis* sive *Sclavoniæ* partem, tum *Bosnam, Serviam, Rasciam* & *Bulgariam*, quas regiones omnes in Europa descripsimus. In Africa habet *Algerium, Tunetum, Tripolim, totam Ægyptum* ab Alexandria usque ad Asnam urbem quæ Syene est, de *Vrbes.* quibus in Africa. In Asia vero habet *Natoliam* quæ est Asia minor, *Cyprum, Palæstinam*, de quibus infra, *Cælosyriam, Babyloniam, Arabiam* omnem cum *Armenia*. In his ditionibus quatuor habet *Vrbes* opulentissimas, *Constantinopolim, Alcairum, Alepum, Taurisium*. *Constantinopolis*, quondam *Bizantium*, omnes Europæ Civitates populi frequentia superat. Feruntur enim in ea esse plusquam septingenta hominum millia. In ambitu tria milliaria Germanica complexa recte & vere a Rhodogino κόσμου κόσμος dicitur, Regia sedes Imperatoris Turcici. Sed de hac plura in Thracia diximus. *Alepum* maxima Syriæ urbs, Emporium celeberrimum, & quasi centrum, quo mercimonia Asiæ undique confluunt. Adluitur ramo uno fluv. Euphratis, quem quidam ex Sultanis eorum eo deduxit. *Taurisium* vel *Tauris*, amplissima quondam Imperij Persarum civitas, quibus nostro ævo erepta est. Ambitus ejus pene 16. mil pass. complectitur: quo spacio CC civium millia contineri creduntur. *Alcairum* vel *Cairum* inter omnes Africæ civitates principatum obtinet. Non enim alia ulla est, quam non longo intervallo post se relinquat. Circuitus ejus plus quam 8. milliarium. Est quasi horreum, non solum Ægypti magnæque partis Africæ, sed & Indiæ, *Opera publica & privata.* cujus thesauri, ad mare rubrum, ac deinde dorsis Camelorum, inde Alcairum devecti, per regiones, quas Mare Mediterraneum adluit, distribuuntur. Maxima Turcis cura exstruendi spatiosas *Meschitas* sive *Templa*, & *Carbarsara* sive *Xenodochia*, adhæc *Balnea, Aquaductus, Pontes, Vias* aliaque publici operis, quæ sane omnia spectabilia sunt apud Turcas, & præclara. *Divæ Sophiæ Templum* in urbe Constantinopoli pulcherrima est omnium structura, quæ adhuc permaneat, scribente Bellonio, longeque superat Romani Panthei structuram. Nam tota Templi interior pars in fornices exstructa est, eosque superiore parte patentes, & lucem admittentes, qui columnis e selectissimo marmore variorum colorum confectis sustinentur; suntque in eo Templo tot portæ, quot in anno dies. Turcæ ad ejus exemplum suas *Meschitas* ædificarunt: nam circiter sex admodum splendidæ & magnificæ quæ intra centesimum annum exstructæ sunt, omnes ad D. Sophiæ Templi exemplar sunt factæ. *Regium* Turcæ *Palatium* ac multa vetusta monimenta, ne prolixior sim, prætereo. Domus privatæ angustæ: non enim curant Turcæ quomodo habitent. Tecta cuneatim coeunt, quemadmodum hic, idque in tota Europa: sed in Natolia tecta plana sunt in modum tabulati sine ullo fastigio. Sed hæc hactenus, ad rationem gubernandi venio. *Ottomanorum* regimen est prorsus despoticum. *Turcarum* enim *Imperator* adeo absolute Dominus omnium rerum intra fines sui Dominij contentarum est, ut incolæ, se ipsius mancipia, non subditos nuncupent; nec quisquam sui ipsius, multoque minus, domus quam inhabitat, aut agri quem colit, Dominus est: exceptis aliquibus familijs in urbe Constantinopoli, quibus præmij loco, & privilegio, id concessum a Mahumete 2. fuit. Inter ejus Ministros principem locum tenet *Alcorani Interpres Mufsti* dictus Pontifici Romano similis. Secundum ab hoc honoris locum habent *Cadilescheri*. Hi sunt supremi Iudices causarum omnium, & sunt velut Patriarchæ, ad quos appellationes causarum fiunt. Olim tantummodo duo erant in universo hoc Imperio. Primus *Rumeliæ*, hoc est, Romaniæ, vel Europæ: alter *Natoliæ*: sed a Selymo primo tertius adjunctus qui jurisdictionem habet in Ægypto, Syria, Arabia, parteque Armeniæ. Hi imperium in Iudices particulares provinciarum habent, qui dicuntur *Cadij*. Post *Cadilescheros* ordine sequuntur *Vezires Bassæ*, Consiliarij Imperatoris hodie circiter 9. quorum supremus *Veziræzem* dictus, solus universum Imperium maxima cum potestate administrat, quem quidem ut plurimum Imperator de rebus serijs consulit. Post hos auctoritate maxima sunt tres *Beglerbegi*, quorum munus respondet dignitati *Generalis campi* vulgo dicti. Primus est *Rumeli Beglerbeg. 1.* Romaniæ. Secundus *Anatoli Beglerbeg. 1.* Anatoliæ vel Asiæ. Tertius *Denizi Beglerbeg. 1.* maris Præfectus. *Leges & instituta.* Turcæ Iustitiæ strenuissimi sunt exactores. Qui hominis sanguinem fuderit, pari pœna semper plectitur. In adulterio deprehensus cum adultera, absque misericordia & absque mora lapidatur. Fornicarius præventus octingentos flagelli ictus seu verbera debet tolerare. Fur prima & secunda vice deprehensus totidem verberibus cæditur: tertia manu truncatur: quarta pede. Longum esset reliquas leges & instituta commemorare. *Scholæ.* Gymnasia multa habent, in quibus leges civiles a Regibus latæ pro regni administratione defensioneque plurimi docentur, quorum deinde quidam ecclesiasticis, quidam secularibus muneribus præficiuntur. Ingenio sunt tardo, stupido, ignavo. In suos obsequiosi, in exteros superbe imperiosi sunt, jactabundi, arrogantes, fastuosi. Vxores habere quot libet, licet. Aleam fugiunt, alveo delectantur. Religionis locum apud eos obtinet superstitio. Hæc a Mahomete conficta circa an. 623, imperante Heraclio. In lege Mahometis omnia absurda & ridicula, de creatione mundi, de ejus fine, de Paradiso, Inferno, Cœlo, Terra, creatione hominis, deque Mahometis itinere in Paradisum. Vnum tamen Deum agnoscit, Christum etiam pro magno Propheta coli præcipit, ut & Mosem & se. Annum non ex Solis, sed ex Lunæ cursu æstimari vult. *Opificia. Victus.* Rustici per servos suos agros colunt. Opifices artibus mechanicis se sustinent. Mercaturam quoque strenue exercent. Ter edunt quotidie, cernui, cruribus decussatim compositis. Cibus ipsis oriza, pisces, carnes excepta porcina. Vtuntur & pane non pessimo *Echmech* dicto, nigro & albo, quemadmodum & nostrates. In edulijs illis multiplex ars, & varia conditura. Vinum non bibunt, id enim lege vetitum; sed ejus loco aquam cui mel, saccarum aut julebum admixtum est. Opij frequens apud eos usus. *Vestitus.* Vestes omnibus oblongæ. Sidari alba caput tegunt, qui autem ex stirpe Mahometis sunt viridi.